

His preconijis bonorum operum mouentur
haud dubie fideles ad bene operandum. Interim eti-
am praedicatur doctrina poenitentiae aduersus impi-
os, qui male operantur, ostenditur ira Dei, quam
minatus est omnibus qui non agunt poenitentiam. Lau-
damus igitur & requirimus bona opera, & multas
ostendimus causas, quare fieri debeant. Sic de ope-
ribus docet & Paulus, cum inquit, Abraham acces-
pisse circumcisionem, non ut per illud opus iustifica-
retur. Iam enim fide consecutus erat, ut iustus re-
putaretur, Sed accessit circumcisio, ut haberet in cor-
pore scriptum signum, quo commonefactus exerce-
ret fidem, quo etiam confiteretur fidem coram alijs
& alios ad credendum suo testimonio inuitaret.
Abel fide gratiorem hostiam obtulit, quia igitur fi-
de iustus erat, ideo placuit sacrificium, quod facie-
bat non ut per id opus mereretur remissionem pecca-
torum, & gratiam, sed ut fidem suam exerceret, &
ostenderet alijs ad inuitandos eos ad credendum.

Cum hoc modo bona opera sequi fidem debe-
ant, longe aliter vtuntur operibus homines, qui non
possunt credere ac statuere in corde sibi gratis ig-
nosci propter Christum, se habere Deum propitium
gratis propter Christum. Hi cum vident opera sanc-
torum, humano more iudicant sanctos promeruisse
remissionem peccatorum & gratiam per haec ope-
ra. Ideo imitantur ea & sentiunt se per opera similia
mereri remissionem peccatorum, & gratiam, senti-
unt se per illa opera placare iram Dei, & consequi,
ut propter illa opera iusti reputentur. Hanc impiam
opinionem in operibus damnamus, Primum quia

p ij obscurat